

1643

C O D I C E S

1644

XXI. fol. 258. Sequitur sermo Magistri Stanislai de Znoyma sacre Theologie professoris contra quinque articulos Wyckleff condempnatos. Sunt hi Articuli e XLV. numero 15. Nullus est Dominus civilis &c. 16. Domini temporales possunt ad arbitrium &c. 18. Decimæ sunt meræ Eleemosynæ &c. 33. Sylvester Papa et Constantinus &c. et 32. Ditare Clerum est contra regulam Christi. Initium Sermonis a proluxa invocatione Virg. Mariae: Ave Maria virgo cunctas hereses sola interemisti &c. Ad calcem: Isti duo sermones sunt predicati ad clerum per duos doctores contra VII. Articulos Jo. wy. condempnatos quos Jo. Hus in scolis publice defendit et dogmatizavit. Et Scriptoris παγεγον: Eya ecce Ihesu explicit totum, Infunde da michi potum, Istum potum puto de quo canimus Infunde unccionem tuam deus clemens nostris sensibus. Adparet ex toto hoc Codice, quantum pro Suggestu tam sacro, quam scholastico ventilatae sint in utramque partem adlatae ex Anglia Sententiae. Varia, quae continet, cognoscendae penitus toti Controversiae opportuna lucem nondum videre, quamvis non sperandas ad Historiam five ecclesiasticam, five literariam accessiones praestitura.

CCCCXXII.

522 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 275. 4. a diversis congestus ad Turbas Hus-

fiticas in Bobemia pertinet. Occurrit in eo: I. Proposicio facta in Curia Romana coram papa (Joh. XXIII.) contra Wycleffistas Anno domini M^o CCCCXIII^o. Mense decembri. Initium: Beatissime pater patrum Iustissime ac clementissime princeps. Cum quilibet Orthodoxus firmissime tenere debeat et nullatenus dubitare, omnem hereticum uel scismaticum cum dyabolo et angelis eius eterni ignis incendio participandum &c. Memorantur deinceps introducti in Regnum Bobemiae et Ecclesiam Pragensem per lectionem librorum Wycleffi errores, eorumque praecipui adseclae nominantur Job. Hus, Job. Jessenicz, Sdislaus de Wartenberg, Jac. de Miza, Procop. de Plzna et Marcus de Grecz Regine. Sbinconem Archiep. autoritate Alexandri V. in praedictos Libros inquisivisse, eosque exussisse; Hussum cum suis contra Archiepiscopum ad Sedem Apostolicam adpellasse, et ut immergerem a Card. Oddone Columpna subiectum excommunicationi, in qua per annum cum dimidio infordeuit, prout etiam infordeuit &c. Itaque petitur, ut Homines hi autoritate Sedis Apostolicae Haeretici declarentur, potestati Seculari beneficiis privati tradantur, loca, ad quae declinaverint, interdicto subjiciantur &c. Pontifices in hac causa saepius interpellatos fuisse, referunt quidem Historici; a quo vero profecta sit praesens interpellatio, an a Capitulo Metropolit. an a Parte Academiae, aliisve,

1645

P O L E M I C I.

1646

ve, defumi non potest. Subscripta est: *Fiat per omnia ut petitur.*

II. fol. 2. p. 2. *Consilia et modi concordie magistrorum facultatis Theologice studij pragensis contra Wyklefistas. Anno Domini M^o CCCCXIII^o. pronunciata in die sancte Dorothee in Praga in Curia Archiepiscopi in concilio provinciali.* Prolixi hujus Scripti, quod ad causam penitus cognoscendam multum facit, exemplum unum jam dedimus alias et apud *Cochlaeum Hist. Hussit. L. I. p. 44.* extare diximus. In Codice praesenti versio *Bohemica* articulatum subjicitur. Initium est: *Quia Serenissimus princeps et dominus dominus Wenceslaus Romanorum rex et Boemie rex pro honore suo et Regni sui de sano consilio dominorum Baronum per suas literas voluit et mandavit seriose ut pestifera dissensionis materia in clero regni Boemie suborta inuestigaretur &c.* Consilium simile datum a. 1412. retulimus *Cod. praeced.* Sed praesens longe uberius est, et postquam in causam *triplicem* Dissensionum Cleri inquisivisset, multumque commendasset obedientiam Apostolicae Sedis debitam, renovat prohibitionem XLV. *Articulorum Wiclefisti*, inculcat observantiam *Articulorum VI. in estate in eodem pretorio*, ut ait, approbatorum, et Clerum obstringit ad excommunicationem *Job. Hussi* habendam legitimam.

III. fol. 9. p. 2. *Consilia et modi concordie magistrorum pro*

parte magistri Johannis Hus. Constant Articulis IX. qui leguntur apud Cochl. cit. L. I. p. 32. oblati, ut ibi dicitur, in eadem Die S. Dorotheae. Initium: Pro honore dei et ewangelij eius libera predicatione &c.

IV. fol. 10. p. 2. *Epistola Johannis Ep. Luthornisl. ad Conradum Archiep. Pragen. hic tantummodo dictum Olomucen. Miserat Conradus utriusque Partis Consilia ad egregium hunc Episcopum, ut super iis mentem suam aperiret. Is itaque hanc reddit Epistolam, quam jam Cochlaeus L. I. p. 36. repraesentavit, omissis tamen sub finem, quae hic adjungo: Ceterum de diligencia Sororij mei domini Henrici de Humpolcz agendo gratias pro continuacione supplico, quatenus apud majestatem Regium suos defectus promouere dignemini ut ablatis rehabitis gratiarum actiones una mecum referat V. P. in bene placitis. Nunc et semper me V. P. humiliter recommendo. Epistolae adjunguntur observationes Johannis in Hussi et Complicium Consilia, quas et ipsas Cochlaeus jam produxit l. cit. In Cod. tamen nostro plura sequuntur Animadversa in Hussum et Wiclefistas, quae incipiunt: Ex infra-scriptis videbimus qua ratione heresiarcha bus cautulose seduxit populum per hoc quod partem scripture doctorum pro se adduxit in medium, residuam partem amputando &c. et magna parte PP. dictis constant.*

1647

C O D I C E S

1648

V. fol. 14. p. 2. *Tractatus de Romana ecclesia Magistri Stephani Palecz.* Initium: *Quia in equiuocatione huius nominis Ecclesia multi decipiuntur, hanc ipsam equiuocationem ignorantes in errores incidunt et alios inducunt &c.* Opusculum istud sex Modis Ecclesiam accipi posse docet, et quarto modo, ubi de Ecclesia Romana agit, plurimum immoratur ejus auctoritatem propugnando. Non tamen de hac auctoritate tribus partibus distinctis agit, ut quidem agere dicitur *Paleczii Tractatus* aliquis in *Not. ad Balbini Bob. doct.* P. II. p. 207. qui proinde alius a praesenti fit, oportet.

VI. fol. 19. *Incipit Tractatus magistri Stanislai de Znoyma de Romana ecclesia.* Initium: *Quia mysticum et ecclesiasticum compositum totius ecclesie per orbem terre diffusum debuit sic orbiculariter illuminari lumine fidei &c.* Multus est in distinguendo *Materiali* et *Formali* Ecclesiae. Ita: *licet partes materiales in illa Romana ecclesia et in illo composito ecclesiastico scilicet persone paparum et cardinalium potuerunt et possint grauiter in moribus errare, et in errores circa fidem a reeta fide cadere, ipsa tamen romana ecclesia semper manens eadem quoad eius esse formale &c.* Familiarem etiam coaevis suis sententiam identidem repetit, Papam esse caput et Cardinales membra ecclesiastici corporis. Ceterum jam indicatus alibi.

VII. fol. 25. *Job. Hussi Epistola bobemice scripta*, latine ta-

men sic praenotata: *Infrascripta litera directa fuit dominis Baronibus Boemie in quatuor temporibus ante natiuitatem domini Anno eiusdem MCCCCXII. quo tempore fuit dominus Episcopus Luthomislens. cum pluribus Baronibus Prage et dominus Rex in nouo castro prope Pragam.* Initium ejus latine versum sic habet: *Profectum in omni bono dignetur vobis dare misericors Dominus Deus. Domini dilecti heredes sancti Regni Bobemiae &c.* Porro gratias agit Regi *Wenceslao* apud Barones pro sua et aliorum Magistrorum reconciliatione cum *Sbincone* Archiep. Refert, quomodo *Michael* (de Causis inter praecipuos deinceps in Concilio eius aduersarios) Parochus S. *Adalberti* a Canonicis *Pragensibus* incitatus causam contra ipsum egerit, etiam anathemate procurato. Dolet de Interdicto et privatione Fidelium Verbi Divini, Baronesque hortatur ad promovendam ejus liberam praedicationem; se ab ea nec Papae nec Archiepiscopi auctoritate destitutum; magno pretio emtam fuisse *Bullam*, qua illa in Sacellis prohibetur. Συνοψιν adscripsi, quia *Epistolam* ineditam puto. *Bulla*, quam impetit, *Alexandri V.* est, et legitur in *Balbini Miscell. Dec. I. L. 6. p. 152.*

VIII. fol. 26. *Sequitur husonis oblatio contra conclusionem catholicam pronunciatam per doctores catholicos.* Oblatio haec bobemice scripta est et directa contra *Consilia*, quae N. II. indicavi. Neque

1649

P O L E M I C I

1650

que ista lucem adspexisse videtur. Incipit: *Proty radye doctorkee. kterzy gsu zemy krzywie zbyzdyly &c.*

IX. fol. 27. *Contra falsa (falsa?) dicta et consilia doctorum Hus.* Apud Cochlaeum L. I. p. 50. inscribuntur: *Objectiones Hussitarum contra consilium Doctorum*, et incipiunt: *Primo. Fundamentum doctorum super quo fundant omnia sua scripta et consilia est falsum &c.*

X. fol. 29. *Contra falsa consilia doctorum Hus summarie collegit.* Notae hae ad eundem scopum collimant, videlicet ad refutanda *Consilia* N°. II. indicata. Incipiunt: *De clero pestifero, ibi obiciatur, quod per hoc infamant regnum. Ergo ostendant clerum pestiferum illum &c.* *Επιθετον Pestiferi*, quo usi sunt Theologi *Husso* contrarii, ejus Partem vehementer ussisse videtur. Notae hae vix ullibi lucem adspexerint.

XI. fol. 30. p. 2. *Incipit valde utilis informacio contra errores et hereses Husonis et suorum complicum.* Directa est haec *Informatio* contra duo Scripta praecedentia, quae nominatim adpellantur, et articulatim refutantur hoc initio: *Alma et venerabilis facultas Theologica Studij Pragen. atque doctores omnes de eadem facultate attendentes quod nedum de magistris et suppositis eiusdem studij, sed et de personis utriusque sexus regnicolis preclari Regni Boemie in diuersis mundi partibus mala fama volaret &c.*

Atque deinceps ad IX. *Articulos* prioris et ad X. posterioris respondetur. Ad calcem: *Explicit catholica replicatio Sacre Theologie professorum Studij Pragen. contra quedam scripta heretica et erronea Husonis Heresiarche et suorum complicum sub anno domini M° CCCCXIII°.* Nescio, an ullibi typis prodita.

XII. fol. 58. *Item Responso doctorum ad predictas duas Replicationes impertinentissime et falsissime factas contra consilium doctorum catholicorum.* Exhibet secundam hanc Responsoem *Cochlaeus l. cit. p. 53.* non tamen initio penitus cum Exemplo nostro conspirantem, quod incipit: *In primis ponunt quod fundamentum doctorum super quo fundant omnia sua scripta et consilia est falsum &c.* Subjecta est brevis Professio Doctorum Theologiae, quam, ut ait Inscriptio, *Hussitae* nullatenus facere voluerunt. Quod non mirum; *Wicleffus* enim per eam absolute damnandus fuisset.

XIII. fol. 67. p. 2. *Broda (Andr.) Contra obiectiones Hussitarum, que sic incipiunt: De clero pestifero. Ibi obiciatur &c.* Itaque contra eas, quae N. X. indicatae sunt. Scriptum breve *ἀνεδροτον.*

XIV. fol. 69. p. 2. *Sequitur bulla contra bussitas quam ipsi nequitiose ut semper consueuerunt glosauerunt.* Meminit *Glosationis* hujus solertissimus *Cochlaeus L. I. p. 21.* atque Specimina quaedam depromit. In *Cod.* vero integra interjecta est *Bullae* textui. *Bulla* porro

1651

CODICES

1652

porro haec Decretum *Johannis XXIII.* est, datum in Synodo *Romana*, quam in confinio anni 1412 et 13. celebravit. Ejus initium in Codice: *Johannes episcopus seruus seruorum dei venerabilibus fratribus ac vniuersis Archiepiscopis &c. Nuper in generali (ita adpellat) concilio quod adhuc in basilica principis apostolorum de vrbe pro reformatione et confirmatione prosperi status vniuersalis ecclesie celebratur, eodem approbante concilio quosdam libellos uel tractatus quondam Jo. Wyk. seu per ipsum editos inscriptos et intyulatos dampnauimus et reprobauius et alia fecimus prout plenius continetur in nostris inde confectis literis, quorum tenor sequitur in hec verba. In generali concilio inter omnes apostolice sedis instancias. Ingressum hunc adscribendum duxi, cum Decretum nostrum tam in *Collect. Concill. Labb. edit. Venet. T. XV. col. 1379.* quam in *J. Gersonii Opp. omni. T. V. p. 615.* tantum a postremis verbis *cit.* incipiat. Hoc utroque loco praeterea datum legitur 4. *Non. Febr.* in *Cod.* autem 6. *id. Febr.* Atque, ut etiam de *Glossa* post *Cochlaeum* aliquid delibem, secunda, quam verbis: *mox studeat extirpare*, subjiciunt, ita sonat: *Sicut est symonia, regule cancellarie pro medijs fructibus, et bulle cum taxis earundem et omnium beneficiorum, receptiones vsurarum et lenocinia et omnium sacrorum vendicio.* Ita et per reliquas maxima jam adparet animorum exulceratio.*

XV. fol. 73. *Tractatus Magistri Jacobi*, sed hoc nomine deleto superscriptum *Johannis*, puta *Hus*; ita enim deinceps folia minio inscribuntur. Verum pace Librarii neque *Jacobi* neque *Johannis*, sed ignoti cujusdam Theologi in Concilio *Constantiensi*, qui circa Possessiones Cleri contrariam *Johanni Hus* sententiam tuetur, cujusque *Tractatus* jam indicatus est *Cod. CCCCXIV.* eodem, ut hic, initio: *Inter alia disputata ex tempore, hec questio versabatur, vtrum viris ecclesiasticis seu clericis liceat aliqua possidere &c.*

XVI. fol. 97. p. 2. *Condemnatio Jo. Wycleph.* Epistola scilicet *Thomae Arundelii* Primatis *Angliae*, quam, cum nec *Fabricius* nec *Tannerus* commemorant, hic dabo: *Vniuersis fidei catholice zelatoribus Thomas permissione diuina Cantuarien. Archiepiscopus tocius Anglie primas et Apostolice sedis legatus Salutem et fidem indubiam presentibus adhibere. Audiuius quod spiritus quidam mendacij ad certas partes christianitatis rumores transuexit ab Anglia, quod opiniones scelerate memorie dudum Jo. Wykleff sub Theologie velamine errorum magistri clerus Anglie debuit et ipsum Johannem velud virum catholium et ascriptum decalogo predicasse. Et vestrorum nonnulli huic spiritui fidem dedisse aliquantuliter creduntur. Nos idcirco ad vos omnes saltem quos sic decepti spiritus mendacii veritatis spiritum transmittentes vestre vniuersitati inno-*

1653

P O L E M I C I.

1654

innotescimus, quod nos de consilio et assensu suffraganeorum nostrorum et Cleri totius nostre Cantuarien. prouincie ipsum Jo. velut erroneum ac suas opiniones in Theologia vt hereticas ac in loyca et philozophia erroneas exactissimis examinatione et discussione prehabitis condempnauimus prout merito fuerunt condempnande. Quod ad vestram noticiam deducimus et deduci uolumus per presentes Sigillo nostro consignatas. Datum aput Crolkner VIII. die Mensis. Maij Anno Domini M^o. CCCCXI^o. nostre translationis (a fede Eborac.) Anno XV.

XVII. fol. 98. *Determinatio doctorum sacre Theologie. Sunt primum Errores VI. notati in Wicleffi Doctrina, dein XLV. noti illi Articuli ex ejus Libris extracti, qui praeuie non tantum in Bohemia, sed jam an. 1380. Londini in Monasterio FF. Praedicatorum a Cantuariensi cum 13. Episcopis et 30. Magistris Theologis condemnati dicuntur. Vide et Cod. DCCXXXIII.*

XVIII. fol. 101. p. 2. *De Condempnacione Wikleff per synodum constan. et Johannis Hus et Jeronimi. Epistola est a Concilio data ad Archiepiscopum, Capitulum, Suffraganeos et Clerum Prag. quae incipit: Magnum temporibus nostris infortunium &c. et legitur integra T. XVI. Collect. Concill. Labb. edit. Venet. col. 280. excerpta vero Cochlaei L. III. p. 120.*

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

XIX. fol. 104. p. 2. *Reuocacio Jeronimi. Videlicet Pragensis in Concilio Constant. Sess. 19. 23. Sept. 1415. quae praemissis Titulis incipit: Cum ex sacra biblia constat vere atque veraciter &c. In Collect. Concill. Labb. T. XVI. dividitur in Harengam praeuiam et ipsam Abjurationem, quarum illa extat edit. Venet. col. 943. haec col. 292. Apud Cochlaeum conjunctae leguntur L. III. p. 126. Abest vero a Codice Articulus penultimus, quo declarat Hieronymus, quo sensu dixerit Ecclesiam trifarie distinctam.*

XX. fol. 108. *Sermo magistri Jacobi (Arigonii de Balaridis O. P.) Episcopi londonen. (Laudensis) Et magistri Sacri Palacii (olim Bonifacii IX. et Gregorii XII.) in condempnacione Hufs coram Serenissimo Imperatore Sigismundo et sacro Constant. Concilio Anno domini Millesimo CCCCXVII. (l. XV.) die VI. Mensis. Julij. Extat in Actis Hardtiani Concilii, et in Concill. Labb. edit. Venet. T. XVI. col. 1323. ubi et Codex noster citatur. Initium est: In Nomine Patris &c. Diuini ac supremi presidij supplici inuocacione confisus &c. De Autore, qui, ut infra videbitur, etiam Hieronymi Supplicio prolufit, adi, si lubet, Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 783.*

XXI. fol. 110. p. 2. *Istos versus lugubres dixit Joh. papa XXIII. sedens in carceribus. De Carceribus Johannis narrat Theod.*

F f

de

1655

C O D I C E S

1656

de Niem L. II. c. 21 — 23. Librum vero de *Varietate Fortunae* versibus ab *EO* scriptum memorant *Aug. Oldoinus* in addit. ad *Alph. Ciaconii Vitas Papat.*

et *Cardd. T. II. col. 797.* et *Lud. Jacobus Biblioth. Pontif. p. 140.* Atque hic *Liber* fortasse ad *Δωδεκάσιχον* nostrum redit, quod adscribo:

*Qui modo summus eram, gaudens de nomine Presul,
Tristis et abiectus nunc mea fata gemo.*

Excelsus solio nuper versabar in alto,

Cunctaque gens pedibus oscula prona dabat.

Nunc ego penarum fundo deuoluor in ymo,

Et uultum tristem quemque videre piget.

Omnibus e terris aurum mihi sponte ferebant,

Sed nec gaza iuuat, nec quis amicus adest.

Sic varians fortuna vices versata secundis

Subdit, et ambiguo munere ludit atrox.

Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit.

Vertice de summo mox ego papa cado.

Quodsi Versiculi hi non sint subdititii, tolerabiliorem se Poetam praestiterit *Balt. Cossa*, quam Pontificem. *Adi et Cod. CCCCXVIII.*

XXII. fol. III. Stephani de Palecz Tractatus contra *IV. Articulos Pragenses* videlicet de *Communione* sub utraque, de *libera Praedicatione*, de *Domino Cleri* et *Punitione Peccatorum publicorum*, qui extant apud *Cochlaeum L. V. p. 199.* et deinceps in *Synodo Basil.* late discussi sunt. Tractatui primo haec praemittuntur: *Ab anno domini M^o CCCCXV. incepit communitio sacramenti sub utraque specie Prage in Ecclesia sancti Michaelis in Antiqua Ciuitate Pragensi per Jacobellum de Myza professorem sacre pagine Magistro Cristanno de Prachaticz tunc ipsam ecclesiam regente. Ad quam quidem commu-*

*nionem omnes Wikefiste et Hussite firmiter acceperunt, et eam pertinacissime eciam armata manu defendere promiserunt. Et quicumque Prelatus siue Rex siue communis populus ipsis non adhereret ipsum pro inimico validissimo habere decreuerunt. Vnde contra Ecclesiam vniuersalem et Romanam que mater est Ecclesiarum ymo contra Serenissimum Regem dominum Sigismundum Regem Vngarie et Boemie naturalem et coronatum ac electum legitime et admissum, ymo specialiter contra totum Regnum Boem. ipsi Wikefiste et Hussite defendere volentes suas opiniones ac eorum errores palliare volentes quatuor conclusiones ewangelicas exceperunt quas tenere et defendere sub iuramento vnanimiter promiserunt in communi Concilio Pragen. Dein sequuntur dictae *IV. Conclusiones seu Articuli,**

1657

P O L E M I C I.

1658

culi, et rursus: *Post decursum uero temporis, quasi anno domini 1419. et infra* (certe, quia Articuli illi teste *Cochlaeo supracit.* publicati primum sunt a. 1421.) *plurimi doctores ac magistri contra premissas conclusiones replicarunt, Alius in sermone, alius in scripto, alius in tractatorum compilatione. Inter quos venerabilis vir magister Stephanus de palecz doctor sacre pagine et plebanus ecclesie Curimen. (Kaurzim) Subscriptas posiciones predicauit et posuit contra premissa. Incipiunt uero Positiones hae: Verba saluatoris Math. 16. Super hanc petram edificabo ecclesiam meam et porte inferi non preualebunt aduersus eam &c. atque manifeste Opusculum illud constituunt, quod Joach. Fellerus in *Catal. Mss. Bibl. Paul. Lips.* p. 201. 211. inscribit: *De quatuor Portis Inferni, Contra Articulos Bobemorum.* Nam non multo post initium *Paleczius* hos *Articulos* adpellat *portas inferni eterne damnationis, quia per eas plurimi ingressi sunt et adhuc beu ingrediuntur in infernum.* Theologum nostrum a reditu ex Concilio *Curimensium* *Sacra* procurasse, nemo, quod sciam, haecenus prodidit, deinceps uero in *Poloniam* abiisse, ibique Opusculum aliud ejusdem cum praesente Argumenti condidisse, ad *Cod. CCCCXIV.* diximus.*

XXIII. fol. 119. Epistola elenctica ad quendam *Hussi* Adseclam, quae incipit: *Eloquenti viro domino A. uerbi dei semina-*

tori in praga &c. Vide, quae de ea ad *Cod. CCCCXVII.* et alios observata sunt. Cum ibi a. 1416. *Luticii* data dicatur, hic uero nota temporis careat, nomen *Steph. Palecz* ei inscriptum magna difficultate laborat. Habet tamen illud hic peculiare, quod ei *Notae criticae* a quodam partis *Hussiticae* subjunctae sint, et quidem manu ejusdem *Librarii.*

XXIV. fol. 141. p. 2. *Tenor literae uniuersitatis Pragen. super tenendas ecclesiasticas laudabiles consuetudines ab eadem approbatas.* Initium: *Vniuersis christi fidelibus &c. Johannes Cardinalis Magister in Artibus Baccal. in decretis, Rector Cetusque magistrorum ad hoc presertim vocatorum Vniuersitatis studij pragen. Vnanimis Salutem — Quia antiquus ille et callidus humani generis hostis &c. Dolent, se audivisse, quosdam temere adstruere: non esse purgatorium, et consequenter quod orandum non sit uel eleemosinandum pro defunctis, quodque non sunt tenende in dei ecclesia ymagine — Insuper quod benedictiones salis et aque, fontis baptisterij — cum alijs benedictionibus ecclesie — errorem saperent &c. Hortantur itaque per viscera misericordie ihesu christi, ut ejusmodi Doctores non audiant &c. Deest Nota chronologica, sed *Job. Cardinalis a Reinstein* sectator *Hussi* familiaris *Academiam* a. 1417. rexit. Subscriptum: *Hanc literam affixit foribus Vniuersitas Wicklefistarum studij Pragen.* Itaque nec frigida nec calida. Redit alibi.*

F f 2

XXV.

1659

C O D I C E S

1660

XXV. fol. 143. Tractatus pro Communionem sub una Specie. Initium: *De sumptione venerabilis preciosique sacramenti Corporis ac sanguinis domini nostri ihesu christi an sufficiat laicis fidelibus sub specie tantummodo panis &c.* Responsum est ad Tractatum aliquem *Jacobelli de Miza* anteriorem illo, quem dedit *Herm. v. d. Hardt* T. III. P. 16. col. 416. et nos jam pluries indicavimus. *Jacobellus* enim in hoc Tractatu C. 2. verba Adversarii citat ejusmodi: *Istam scripturam Job. VI. si capere vult adversarius, velut sonat, tunc omnes parvuli &c.* Atqui verba haec in nostro praesenti Tractatu mox sub initium leguntur. Itaque Tractatus *Jacobelli* ab *Hardtio* exhibitus non est Responsum ad Tractatum *Andreae de Broda* P. 15. col. 392. continuo praecedentem, sed necesse est, intercessisse ad eum Tractatum aliud *Jacobelli* Responsum, cujus Refutatio praefens noster Tractatus est, ad quem demum *Jacobellus* Scripto illo ab *Hardtio* P. 16. col. cit. edito replicuit. Duo itaque Viro Cl. Scripta intermedia ad complendam *Brodae* et *Jacobelli* Controversiam defuere: Replica *Jacobelli* ad primum *Brodae* Scriptum, et *Brodae* ad hanc Replicam Responsum, quorum prior etiamnum quaerenda est, alterum hoc Codice fititur.

XXVI. fol. 164. Contra quosdam asserentes quod oporteat populum sub utraque specie communicare per doctores sacre Theologie

in sacro concilio Constan. existentes ponuntur conclusiones infra scripte. Sunt Conclusiones VI. suis rationibus fultae, prout leguntur in Collect. Concc. Labb. edit. Venet. T. XVI. col. 940. adhaerente argumentorum in contrarium Examine.

XXVII. fol. 165. p. 2. De prophecia balaam. Nugae! Inter alia: *Idem propheta dicit: Sub anno domini M^o CCCII. dominante et regnante hac litera. K. in Septentrione. Et erit maximus dominus sacri Imperij et omnia in regno suo bene stabunt et prosperabuntur. Post discessum ipsius Sedes Apostolica et spiritualis status non bene stabit et opprimetur. Anno domini M^o CCCLXII. dominante et regnante hac litera W. Sacrum Imperium desolabitur, partium scisma patietur — et Romano pontifici male succedet, et in arbore arida sacrum Imperium pendebit. — Post hec uero Imperium sacrum ad literam S. deueniet ad annos IX. et sepulcrum obtinebit et sanctum Thomam de Indya ad Coloniam ubi tres Reges iacent deportabit et ita christianitas uiuet secundum propheciam Balaam. An ejus Afinae? Literae K. W. et S. Oedipo non egent. Nihil vero de his *Fabricius* in Cod. Pseudopigr. V. T. p. 807.*

XXVIII. fol. 166. De de tractione sacri concilij, et Non esse communicandum sub utraque specie. Pauca et leuia.

XXIX. fol. 167. titulo: De periculis. Opus *Guilelmi de S. Amore*, alias de periculis novissimorum

1661

P O L E M I C I.

1662

morum temporum, Codd. DXLIII. et seqq. referendum.

XXX. fol. 204. *Auſtoritates Noui et Veteris Teſtamenti Sanctorum Doſtorum et Vniuerſalis eccleſie contra communionem Infantium.* Non implet menſuram Opusculi *quinquepartiti* hic Titulus; ſola enim *Pars II.* de Infantibus agit. In reliquis tractatur de tenendis et cavendis bono Katholico, de effectibus Baptismi, de ritu ſumendi Corporis et Sanguinis Domini, et de ordine Sacramentorum in Eccleſia Dei. Initium: *et primo proponitur quomodo et que boni katholici debent predicare &c.* *Huffitam* autorem habet; nam inter PP. excitatur *Doſtor ewangelicus*, puta *Wicleſſus*, et *Job. Huſs.* Unde liquet, eorum Sectatores circa Communionem Parvulorum non unius fuiſſe ſententiae.

XXXI. fol. 229. *Incipiunt regule contra hereſes edite in Conſtancia.* Opusculum *Job. Gerson*, quod incipit: *Oblaturus iuxta Seniorum huius Sacri Concilij &c.* ut *Opp. T. I. p. 457.* et in pluribus *Codicibus* noſtris.

XXXII. fol. 237. Excerpta ex *Iſidoro Hiſpal. de Summo Bono. L. I. C. 26. et 27. et L. III. c. 12. de Haereticis.*

XXXIII. fol. 238. p. 2. Sequitur *Epistoſa pulchra a vero katholico domino Beneſſio predicatore in eccleſia pragen. directa ipſi hereſiarche bus.* Initium: *Glorioſus deus pius ihesus det tibi non plus quam oportet ſapere et animum quietum orthodoxe fidei et in*

futuro gloriam ſempiternam. Cupiens tibi exprobranti mihi reſpondere uerbum, miror uehementer, cur me fratrem tuum appellas cum me ſcias filium eſſe ſancte matris eccleſie, cuius tu non vis eſſe filius &c. Rogat, ne huius matris dolores renouet. Temerarium iudicium ſibi ab *Huſſo* impactum eo diluit, quod ipſe non iudicet, ſed ſequatur iudicata; dictum uero eſſe: *Qui non credit, jam iudicatus eſt*, quod et *Auguſtini* loco fulcit. Optime conſtare omnibus, ipſum ſententiis ſive interdicto innodatum eſſe, quod ſit ſectator *Wicleſſi*, non uero propter ſatiricas praedicationes contra Clerum, ut ipſe credi cuperet. Interdictum demum rectius poni contra unum Schismaticum quam contra mille Daemonia; illum enim plus nocere poſſe Eccleſiae. Claudis cohortatione, ut reſipiſcat. Nota temporis abeſt, ſed Interdicti mentio ad an. 1413. referre iubet. Quis porro *Beneſſus* ſeu *Benedictus* noſter fuerit, ignoro.

XXXIV. fol. 240. *De Sectis Chriſtianorum.* Decerptum uideatur e quadam Terrae ſanctae Deſcriptione; ſubditur enim: *Reſtat dicere de variis ſectis Chriſtianorum et aliorum que ſecte in ierusalem inueniuntur &c.* Enumerantur uero: *Latini, Greci, Suriani, Indi, Nubiani, Armeni, Georgiani, Neſtoriani, Jacobite, Marionite, Copti, Hyſini, Soldini.* Horum deſcriptionibus accedunt *Sectae Iudaeorum*, et *Machometanorum*, de quibus fuſius, ſed

1663

C O D I C E S

1664

fed aut trita aut fabulosa. Nolo tamen praeterire Fabellam Catalogo huic praefixam et inscriptam: *De utraque specie*, quam verbis Librarii subijcio: *Hec acta sunt tempore Siluestri pape, quoniam*

Silvester attende, ut cessent plage horrende.

Me se offendunt, sanguinem meum turpiter fundunt.

Probibe potare, meum sanguinem contaminare.

Quantum ejusmodi Commenta optimis saepe caussis obsint, ii foli ignorare videntur, qui ea procedunt.

XXXV. fol. 243. Sequitur contra communicantes sub utraque specie. Tractatus scriptus post Concilium Constant. quod in eo citatur. Incipit: *In presenti tractatulo tripliciter proceditur. Primo ostendetur figuris Auctoribus et Canonibus quod populus communis non debet sub utraque specie communicare &c.* Reliquae 2. Partes Interrogationes *Wiclefistis* proponendas, et Solutiones eorum, quae opponunt, complectuntur. Peccatum mortale sextuplex impingit Noster Sacerdoti utramque Speciem porrigenti. Ad calcem: *Finitus est Tractatulus in Dyewin Anno domini M^o CCCCXXXI^o. Sexta feria ante fabiani et Sebastiani martirum.*

XXXVI. fol. 252. Aliae Positiones contra *Wyklepistas* cum questionibus et responsonibus, quarum initium: *Queritur utrum sit mortale peccatum ecclesie non obedire. Si dicent wiklefiste quod non sit &c.* Abrumpuntur cum p. 2.

tunc dabatur sub utraque specie. tunc deo disponente contigit ipsum in libro uertere, et quocunque vertebat in libro et quotiescunque, hec metra semper inuenit:

et resumuntur fol. 273. p. 2. usque ad finem Codicis.

XXXVII. Literarum Sigismundi Imp. geminum Exemplar Bohemice scriptarum, quarum priores sunt ad Proceres Regni Bohemiae tantum, alterae etiam ad Archiepiscopum Conradum et Johannem Ep. Litomisiensem directae. Non latuere, ut paene nihil ad hoc negotium pertinens latuit, Cochlaeum; Priores saltem latine versas Libro IV. p. 155. inseruit, a quibus, quod ad rem, nihil abluunt alterae. Itaque non est, quod illis immerer, notas temporis, quas reticuit Cochlaeus, e Codice addere contentus. Priores videlicet datae sunt Parisius XXI Marcij Regnorum nostrorum Vngarie XXIX. Rom. vero VI. Alterae ibid. penultima die Marcij. Utrique subscriptum: *Ad mandatum domini Regis Michael Pragen. et Wratisl. Ecclesiarum Canonicus.* E Diario Concilii Constant. discimus Sigismundum 1. Martii 1416. Parisios adpulisse. Extat illud ex Herm. v. d. Hardt in Collect. Concc. Labb. edit. Venet. T. XVI. col. 1437. Itineris caussae notae.

XXXVIII.

1665

P O L E M I C I.

1666

XXXVIII. fol. 255. p. 2. Excerptum de Juramento et habitu Imperatoris ad Pontificem Rom. e Tractatu de Regimine Christianorum Jacobi de Viterbio Ord. FF. Heremitarum s. Augustini. Autoris hujus Jac. Cappoccii e Sodalitio suo primum ad Infulas Beneventanas, dein Neapolitanas traducti et a. 1308. vivis exempti Opera paene omnia in Msptis latent, quae inter et Tractatus noster 2. Libris constans. Imperatorem se habere ad papam, sicut manus se habet ad caput, in Excerpto nostro legas.

XXXIX. fol. 256. Martini V. P. M. Breve, quo Johanni Card. S. Sixti legationem ad Sigismundum Rom. et Ungariae et Wenceslaum Bohemiae Reges defert. Datum Gebennis VI. ydus Julij Pontificatus Anno primo, id est, 1418. incipit: De summis celorum ad yma descendens &c. et legitur Annal. Eccl. Odor. Raynaldi T. VI. p. 7. De Johanne dicto Dominici Florentino O. P. a Gregorio XII. ad Infulas Ragusinas et Purpuram promoti, Budae ante an. 1421. defuncto et inter Beatos culto adi Actor. SS. T. II. Junii ad diem 10. p. 394. et Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 768. Nos quoque ejus meminimus.

XL. fol. 260. Alexander etc. Nobiles ac prudentes viri, literas vestras nobis ad presens allatas clausas et apertas suscepimus et earum continencias sana percepimus ratione &c. Est haec Epistola Alexandri, antequam Sacra

Christiana susciperet, dicti Vitoldi Lithuaniae Ducis ad Partis Hussiticae Proceres et Magistratus Bohemicos, qui illi coronam contra Sigismundum detulerant, et nunc iterato in regnum invitarent. Negat, se unquam pollicitum fuisse ad eos proficisci, sed frequentibus eorum literis et nunciis permotum, non sine magnis impensis misisse nepotem suum preclarum ducem Zigismundum (Koributum) magna cum spe, fore, ut per eum ab erroneis suis Articulis deducti Sanctae Romanae Ecclesiae reconciliarentur. Quod si Sigismundus dux in Conventu Czeslaviensi promiserit, se his IV. Articulis staturum, id nihil ad se. Nunquam se id mandasse Nepoti, quidquid dicat Nuntiorum aliquis Hynco de Walsten. Visa igitur pertinaci eorum ad praedictos Articulos adhaesione se cum Serenissimo principe domino Romanorum Vngariae Bohemiae Rege fratre et amico carissimo concordiam inivisse, Nepotem revocasse domum et, ut ait, cum tota christianitate contra eos stare velle. Volentibus tamen saluti suae consulere bona officia una cum Rege Poloniae fratre suo carissimo apud Regem Sigismundum offert. Nota temporis abest; consulta tamen historica rerum serie ad an. 1427. referenda videtur Epistola, quae, ut puto, lucem nondum adspexit, servitque ad emendandos eos Autores, qui Sigismundum Koributum aut filium aut patruelem Vitoldi fecere.

XLI.

1667

C O D I C E S

1668

XLI. fol. 261. Epistola Henrici de Beaufort Ep. Winton. Card. S. Eusebii scripta, ut in calce, Magistris ciuium Consulibus et Scabinis nec non toti communitati Ciuitatum Pragensium. Initium: *Henricus permissione diuina Cardinalis Anglie Wintonien. Episcopus. Filioli quos iterum parturio donec reformetur christus in vobis. Gratia vobis et pax in eo qui natus bone voluntatis hominibus pacem dedit &c.* Virum hunc illustri loco natum, quem Alph. Ciaconius in *Vit. Pontiff. et Cardd. T. II. col. 845.* perperam cum Henrico Chichelaeo Archiep. Cantuar. συγχωρω confundit, Martinus V. a. 1427. ad praedicandam contra Hussitas crucem, colligendasque copias in Germaniam ablegarat. Sinistros Legationis hujus eventus narrat *Aen. Silvius*

Hist. Bob. c. 48. Instructiones ab Henrico Praedicatoribus Cruciatæ datas *Edw. Brownius Adpend. suae ad Fascic. Rer. expentend. &c. Lond. 1690. p. 626.* inferuit; Epistolæ vero nostræ, quod sciam, nemo meminit. Data est *Nurenberge Mens. Julij die XVIII.* totaque in ostentandis pacis et concordiae bonis infumitur. Id unum legas: *Si uos hec parum moueant, moueat saltem corda uestra humani cruoris effusio de uerisimili euentura, dum etenim soli et segregati ab alijs stis, christicolarum cunctas potestates et principes in vestre communitatis exterminium, quod lamentabiliter referimus, prouocatis.* At nempe jam 21. Jul. terror panicus Germanos dissipauit.

XLII. fol. 262. Hymnus de S. Wenceslao, qui incipit:

*Wenceslao duci claro
Nos boemi personemus, carmen demus
dulcis melodie &c.*

XLIII. fol. eod. Missa wikleffistarum. Satis profana Μυσικῆς omnium Missæ partium, quæ usque ad nostra tempora non unum imitatore inuenit. Introitus incipit: *Tristabitur iustus et letabitur impius in noui wikleff solempnitate Qui sepultus extumulatus et combustus in Anglia condempnatur et tamquam deus in bohemia fideliter adoratur &c.* Epistola: *Primum quidem sermonem feci de omnibus o Feronime (de Praga) que cepit wikleff facere et docere &c.* Evangelium præmissa longa

Prosa: *Liber generacionis maledictionis omnium hereticorum filiorum diaboli filiorum Wikleph. Wikleph genuit Swewia (quis hic?) Swewia genuit Stanislaum, Stanislaus (de Znoyma) genuit Hus, Hus genuit Marcum de grecz (Reginae) Marcus genuit Sdemiconem (de Labun?) Sdeniko genuit Tyssnow, (Simonem de) Tyssnow genuit (Petrum) Konyprus &c.* Stanislaum de Znoyma hic insertum putem, quod Hussi in Theologia Doctor, et dum hic intra carpandos pravos Cleri

1669

P O L E M I C I.

1670

ri mores stetit, amicus fuerit. Atque ad hunc modum se reliquae *Missae* Partes habent, quibus et *Sermo* ejusdem commatis fatirici interjectus est. Adludit ad hanc Satiram *Huffus* in *Resp. ad Scripta M. Steph. Paletz* edit. *Opp.* 1715. P. I. p. 318. eamque *Teutonicis* tribuit.

XLIV. fol. 265. *Sermo in Condempnacione Jeronimi Heretici de Praga.* Incipit: *Supreme trinitatis nomine invocato Pro presenti proposito occurrit mihi Thema &c.* Sermoni subjungitur *Sententia contra Jeronimum Hereticum condempnatum de Praga ignobilem et laycum.* Ad cujus calcem: *Oratio precedens que incipit Supreme trinitatis nomine invocato, est facta per magistrum Jacobum Laudonen. (Laudenf.) Episcopum et Apostolici Pallacij magistrum super condempnacionem Jeronimi de Praga Heretici in Constantinen. Concilio Anno domini Millesimo CCCXVI. die III. (XXX.) Maij.* Apud *Cochlaeum* L. III. p. 132. *Sermo* et *Sententia* junctim leguntur; in *Collect.* vero *Concill. Labb.* edit. *Venet.* T. XVI. *Sermo* habetur col. 1349. *Sententia* vero col. 409. sed utrobique haec ultima verba *Sententiae* desunt: *Secularis iudicis relinquit arbitrio debitam recepturum pro qualitate tanti facinoris ulcionem efficaciter intercedens, quatenus idem iudex circa mortis periculum suam sententiam moderetur.*

XLV. fol. 270. *Interrogaciones de Constancia.* Faciendae sci-
Denis *Codd. Theol. V. I. P. II.*

licet *Suspectis* de studio erga *Wicleffum* vel *Huffum.* In *Codice* sunt numero XXIII. hoc initio: *Primo interroget, si credit quod quidquid sanctum Concilium uniuersalem Ecclesiam repraesentans in materia (fidei?) approbavit et approbat &c.* sed T. XVI. *Concill.* edit. *Venet.* col. 760. sunt multo plures, nec eodem ordine procedunt.

XLVI. fol. 271. p. 2. *Martini V.* *Bulla Cruciat*a contra *Huffitas.* Ejus initium: *Martinus Episcopus &c. Omnium plasmatoreis Domini, qui se dominici gregis et ut illum sue hereditatis faceret participem in pretium ymolare non abnuuit &c.* Data est *Florence* kl. *Marcij,* *Pontificatus* anno *Tercio,* et subscripta: *De Curia Jo. de Ratingen.* *Integram* exhibet *Cochlaeus* L. V. p. 133.

XLVII. fol. 273. *Decretum Constant.* *Concillii* de *Ratione* vitandi *Sententiae* aut *Censurae* ecclesiasticae *Subiectos,* quod incipit: *Insuper ad vitandum scandalum et multa pericula, subueniendumque conscientijs timoratis &c.* Atque hic *Codex* opimae frugis mire ferax explicit.

CCCCXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 478
XV. Folior. 344. 4. currente calamo perscriptus Sequentia continet: I. *Traetatum* de V. prioribus *Ecclesiae Sacramentis,* qui incipit: *Ad christi ihesu domini nostri laudem et honorem pariterque*

G g

in